

EPISTOLA AD CUSTODES II [EpCust II]

¹ Universis custodibus fratrum minorum, ad quos iste littere pervenerint, frater Franciscus, minimus servorum Dei, salutem et sanctam pacem in Domino.

² Scitote quod in conspectu Dei sunt quedam res nimis alte et sublimes, que aliquando reputantur inter homines pro vilibus et abiectis, ³ et alie sunt care et spectabiles inter homines, que coram Deo tenentur pro vilissimis et abiectis.

⁴ Rogo vos coram Domino Deo nostro, quantum possum, quod litteras illas que tractant de sanctissimo corpore et sanguine Domini nostri, detis episcopis et aliis clericis, ⁵ et memoria retineatis, que super his vobis commendavimus. ⁶ Aliarum litterarum, quas vobis mitto ut eas detis potestatibus, consulibus et rectoribus, et in quibus continetur ut publicentur per populos et plateas Dei laudes, facite statim multa exemplaria **et copias**, ⁷ et cum magna diligentia eas porrigite illis, quibus debeant dari. **Valete in Domino.**